Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 415
Quelle:
Copyright:

CCXLVIII.

U. 23 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 315. f. per quinque columnas luculente exaratus, rubricis distinctus, olimque *Joannis Alexandri Brassicani philosophi ac Jure Consulti*, ut ait Folium praevium, et ipsa Theca exterior literis I. A. B. impressis testatur, dein a. 1540. emtus pro Collegio suo ad D. *Nicolaum* a *Job. Fabro* egregio illo *Vienn.* Episcopo, est speciosum Exemplar *Concordantiarum Biblicarum* ita ordinatarum, ut post quamvis vocem continuo citentur Scripturae loca, quibus vox illa habetur. Initium absque Praeloquio, ut in Codice praecedenti, quocum ejusdem rationis est. Finis in *Zorobabel.* Subjectum minio: *Expliciunt concordantie minores.* Primitivas has esse ab *Hugone de S. Caro* in Conventu FF. Praed. ad D. *Jacobum Parisiis* Sec. XIII. medio elaboratas bene docetur in *Biblioth. Scriptt. Ord.* T. I. p. 203. dicique ideo *minores*, quod citationes solum, non vero particulas ipsius sacri Textus exhibeant, quas particulas cum Sodales quidam *Angli* postea adderent, eorum *Concordantiae Majores* sive *Anglicae* dici coepere.

CCXLIX.

R. 3242 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 392. 8. non una manu, nitide tamen perscriptus, rubro enotatus, et olim *Bibliothecae Civicae Vindob.* in Theca antica intus manu Sec. XV. insignitus est: *Allegatorium aureum super omnes textus Noui veterisque testamenti.* Pertinet vero ad illud Adjumentorum genus, quod *Concordantias* Biblicas adpellamus, et procedit ordine alphabetico non per omnes, sed praecipuas Dictiones biblicas, quarum usum sub uno conspectu ponit citatis Libris, eorumque Capitibus. Init ita: *Abbominatio.* Luc. XVI. *Vos estis, qui iustificatis vos coram hominibus. Deus autem nouit corda uestra, quia quod hominibus altum est, abhominatio est aput Deum.* Math. XXIIII. *Cum uideritis abbominationem desola. &c.* Prov. XV. *Abhominatio est domino uita impij* &c. Sequitur *Abicere. Absondere. Abstinere. Accedere.* &c. et ut plurimum verba, pauciora nomina. Postremum est *Zelus*, post quod pro Litera A. subplentur *Angelus* et *Anima.* Utilis aevo suo Verbi divini Praedicatoribus Opera, ut erant *Hugonis a S. Caro* Concordantiae, *Petri Berchorii* Reportorium, *Ant. de Rampegollis* Figurae Biblicae, *Nic. de Hanapis* Exempla Biblica &c.

CCL.

Codex chartaceus germ. Sec. XV. Folior. 78. f. per duas columnas exaratus est Versio noti Libri dicti *Consolatio Peccatorum*, sive *Processus Luciferi contra Jesum*, seu denique *Belial*, quem exeunte Sec. XIV. ut Processus judiciarii formam aliquo schemate declararet, commentus est *Jacobus de Ancharano*, sive *Theramo* R. 750

Archi-